



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De ratione communi vniuersalitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

folam conclusionem esse syllogismum, & argumentationem, siue discursum. Tertia sententia est, solas præmissas esse syllogismum. Ita Auerroës 1. periherm. cap. 1. & 2. priorum cap. 4. & in epitome priorum in princip. Albert. 1. prior. tract. 1. cap. 5. Nimphus 2. poster. comment. 2. dub. 2. Quarta sententia est, syllogismum vno modo sumptum esse præmissas & simul conclusionem: cæterum aliter etiam sumi posse, & solere, vt sit vel sola præmissa, vel etiam sola conclusio. Ita absolute Auerfa quæst. 25. log. sect. 6. & quod attinet ad præmissas syllogisticas Conimbricens. 1. prior. cap. 1. q. 2. a. 2. & Ouedus controu. 9. log. punct. 1.

28 Postrema sententia præcisè sumpta ac nulla ei adhibita moderatione mihi magis aridet. Atque quod aliquando syllogismus intrinsecè, & essentialiter comprehendat tam præmissas, quam conclusionem, suadet. Primò quia, iuxta Aristotelem, & cæteros philosophos, syllogismus est, in quo quibusdam positis aliud sequi necesse est: qua definitione admissa quis nõ videat syllogismum claudere intra se, & assensum præmissarum, & simul conclusionem, quæ ex eis necessario sequitur? Secundò, quia syllogismus est compositum per accidens, & artificiale quamuis ergò physici, & per se non vniantur inuicem conclusio & præmissa, tamen poterunt constituere syllogismum. Rursus tertio Aristotel. 2. physicor. text. 31. ait, præmissas, seu suppositiones esse materiam syllogismi, & conclusionem eius veluti formam. At materia, & forma constituunt intrinsecè totum, ac sunt de illius conceptu.

29 Quod autem solæ præmissæ dici possint aliquando syllogismus nec possunt, sed soleant etiam, hunc in modum probatur. Aristoteles 2. prior. cap. 1. docet, eundem syllogismum inferre conclusiones diuersas, vt claret in Celarent v. g. & Celantes: & 1. posterior cap. 2. demonstrationem definit, esse syllogismum facientem scire. Solæ autem præmissæ inferunt conclusionem, seu scientiam, neque hæc est illatiua suimet ipsius: præmissæ ergò duntaxat sunt syllogismus, aut certe hic perperam dicitur ab Aristotele inferre conclusionem. Præterea Philosophus


1. prior. cap. 25. syllogismum ait, constare ex duabus propositionibus: at, si esset, prout tibi accipitur, complexio quædam præmissarum, & conclusionis, non duabus sed tribus coalesceret propositionibus; & ne duabus quidem, si esset sola conclusio. Quamquam fateor hunc locum aliter posse exponi, vt scilicet duæ enunciationes conclusioni præuiæ dicantur vna propositio, & simul cum conclusione duas efficiant. Atque ita interpretatur enim Aristotelis textum Auerfa cum aliis. Quod si quis opponat aduersus hanc nostræ sententiæ partem: fore ea ex vt vna tantum enunciatio quandoque dici possit formaliter enthymema, concedo consequentiam, si sumatur enunciatio illa non sine ordine ad aliam, quam valet inferre, siue vt capax illius inferendæ.

30 Quod etiam conclusio sola, ac per se interdum dici mereatur syllogismus probatur. Primò quia syllogismus haud rarò accipitur pro tertia mentis operatione, hæc autem perinde est atque conclusio, nec ab ea differt. Secundò quia Aristoteles 1. de anima text. 48. sic ait *demonstrationes habent pro fine syllogismum, aut conclusionem*; vbi pro eodem vtrumque. Hinc ergò nostram de definitione & diuisione sententiam supra traditam suadeo. Syllogismus interdum est assensus præmissarum, ac simul assensus conclusionis, interdum verò alter duntaxat eorum assensuum. Similiter ergò definitio quandoque erit subiectum & prædicatum, totave propositio, quandoque solum prædicatum: nec definitio tantum, sed & diuisio eodem iure, eodemque modo id ipsum sibi vendicabit. tque hactenus de modo sciendi, eiusque tribus potissimis speciebus, nempe definitione, diuisione & argumentatione: de duabus quidem prioribus latè & ex professo: at de hac postrema obiter, & quoad paucula, eaque duntaxat quæ ad finem huiusmet capituli paulo superius sunt perstricta. Nec vero pluribus opus erat, cum locos omnes argumentandi dederimus libro primo, vnumquod septima: cætera vero quæ ad argumentationem, prout logici instituti est, spectant, lib. 5. nostri operis.



LIBER OCTAVVS

De Vniuersalitate veritatis.



TRACTATVS I.

De Ratione communi vniuersalitatatis.

CAPVT I.

Quidnam sit vniuersale in communi presentis instituti proprium?

1 **V**NIERSALE, aliud est in causando, quod plurium virtus productiua est: qua ratione Deus rerum creaturarum vniuersalis causa dicitur. *P. Lyncei Philosophia Tom. 1.*

ci consuevit, quia omnes de nihilo condidit: eodem etiam ex titulo Sol. & sydera, sine quorum influxu res inferiores sub lunæ cauo contentæ illuc essent peritura, harum dici adsolent causæ vniuersales. Rursus vniuersale, aliud est in significando: quod videlicet plura refert, seu representat: hoc pacto species impressa Angeli plura ei distinctè proponens, est ipsamet sit in se indistincta, & indiuisibilis, dici solet vniuersalis, & non more nostrarum quarundam singularis: eo etiam pacto vox homo, & conceptus ei in mente respondens dicitur vniuersalis, quia non vnum hominem, velut Ignatius significat: eo denique Cometæ veluti signa quædam vniuersalia portendant regnorum euerfiones, Principum mortes, aliasque clades imminentes.

2 Neutrum horum vniuersalium est propriè vniuersale: quis enim Deum summe vnum, & singulari, quis singulos orbes caelestes, quis item editas à nobis voces destinatas, & particulares, nec minus singulares conceptus eis in mentium nostrarum penetralibus respondentes, quis tandem portenta desuper mortalibus minitanti, & quæ est eorum singularitas, sensibus obuia in vniuersalibus ausit propriè numerare? Deinde neutrum eorum vniuersalium est huius instituti, saltem qua alterutrum latissimè funditur, sed potius physica, metaphysica, Theologia: & aliarum facultatum, vt intuenti palam erit.

3 Quod ergò est propria ratione vniuersale, quod ad præsentem spectat materiam, est vniuersale in essendo, seu prædicando, veluti natura humana v. g. quæ est vna in multis, & in iis multiplicabilis, deque iis prædicabilis. Quocirca id definiri communiter adsolet, *vnum in multis*: Ita Aristoteles 1. posterior. cap. 1. text. 81. & 7. metaphys. text. 45. B. Thom. Scotus, & vtriusque sectatores: nostri etiam omnes: & vt breui expediam, ceteri scholastici, si fortè Nominales excipias. Porrò autem tertium hoc vniuersale, vt ex proposta eius definitione liquet, tria complectitur, nempe vnitatem, multitudinem, ac modum essendi vnius in multis: de quibus ex ordine disputandum huius decursu tractatus.

C A P V T II.

Vnitas rei vniuersalis propria.

4 Vniuersale vnum esse, vel ipsa vniuersalis notio apertè indicat: Porrò vnitas triplex est, nimirum accidentalis, quæ in aggregatione plurium sita est, & non tam vnitas est, quam multitudo: physica, quæ in modo physico partes interiecto ad intrinsecam, & mutuam earum perfectionem consistit: metaphysica, quæ in identitate aliquorum conceptuum est posita. Vnitas ergò metaphysica inferius explicanda omnium consensu ad vniuersale sufficit, quidquid sit, an esse debeat realis, vel rationis, virtualis, vel formalis, de quo in tempore. Vnitas autem physica aut accidentalis ad vniuersale non sufficiunt: Nam, si vnitas physica in modo vnionis sita vniuersale constitueret, hoc compositum ex corpore, & anima, Petrus v. g. & quoduis aliud eiusmodi indiuiduum, ac singulare, esset nihilominus vnum vnitatem vniuersali, quo quid magis absurdum? Rursus si vnitas accidentalis, siue aggregatio plurium rerum minimè vnitarum satis esset ad constitutionem vniuersalis, quodcunque ens per accidens, mundus hic v. g. foret vnus vnitatem vniuersali, quod omnes negant, & meritò: cum enim mundus hic singularis sit, vnitas autem singularis vnitati vniuersali opponatur, qui fieri potest, vt sit vniuersaliter vnus?

5 Deinde vnitas physica iterum alia est physica per se, alia physica per accidens: illa postulat vnionem substantiarum, hæc vero vnionem accidentis cum substantia. Priorem illam Caietanus, Villalpandus, & quidam alij ad vniuersalis essentiam exigunt, illiusque defectu concreta accidentalia, cuiusmodi sunt album v. g. aut nigrum, vniuersalia esse negant contemplatione suorum inferiorum. Cæterum apertè falluntur: tum, quia vnitas

per intellectum ad vniuersale formaliter constituendum sufficit omnium ferè confessione, eisdè iuxta omnes non requiratur: quidni ergo ad illud fundandum instar materialis, ac subtrati sufficiat vnitas per accidens, cum hæc sit physica, & realis, illa verò tantum logica, & rationis, ac proinde minor: tum, quia carentia in communi ad hanc, & illam est vniuersale quoddam, cum tamen nullam entitatem, ac per consequens, nec vnitatem veram, etiam per accidens habeat: tum, quia vnitas formaliter constitutiua vniuersalis est, vel solius rationis, vel virtualis, aut formalis; & omnia alia ad id muneris est impertinens, vt vel ipsi, quibuscumque sit, habent in confessio: quamuis igitur vnitas albi v. g. sit per accidens, vniuersali tamen non obstabit: quod enim vnitas physica per se esse debeat fundamentum vniuersalis, quo id fundamento dicitur? tum demum, quia accidens quintum prædicabile, & vniuersale de medio tollunt aduersarij: haud ergo iniuria duximus, eos esse explendos.

6 Præterea vnitas, alia est præcisua, qua res aliqua, ratione, seu consideratione nostra, aut quodammodo re ipsa, à multitudine præscinditur: alia positiua, quæ in positiua indiuisione sita est, & negationem omnem, aut præcisionem à multitudine anteuertit, & fundat. Vnitas ergò vniuersalis constitutiua debet esse positiua, & non merè præcisua, tametsi recentiores contrarium profiteantur. Assertum probatur: quoniã, vt mox videbimus, multitudo præcisua, & in mera præcisione ab vnitatem sita ad vniuersale nõ sufficit: igitur nec vnitas præcisua. Deinde si quis efformaret hunc conceptum: *essentia vel existentia* de vtriusque distinctione reali, & etiam rationis omninò dubius, is proculdubio nullum ab essentia, & existentia abstraheret vniuersale, nec essentia, & existentia per eum conceptum disunctiuam vnitatem vniuersalem haberent: & tamen ab vtriusque distinctione, & multiplicitate is conceptus præscindit, cum æque eam affirmet, nec eam neget, sed ab ea quodammodo abstrahat: vnitas igitur vniuersalis neuiquam esse potest mere præcisua. Quod autem obiciunt aduersarij, vniuersale esse vnum, non alia de causa, nisi, quia per conceptum eius effectiuum à multitudine, & distinctione inferiorum præscinditur, omni, vt sic dicam, falsitate est falsius: quin potius vnum est, quoniam ille conceptus inferiora tanquam positiuè vna quodammodo concipit, de quo inferius.

C A P V T III.

Multiplicitas rei vniuersalis propria.

7 Quod ad multiplicitem attinet: aliquam ad essentiam vniuersalis requiri, nemo est, qui ambigat. Porro duplex est, realis, & rationis solius. Realem necessariam esse, & rationis non sufficere plerique doctores extra scholam Thomisticam affirmant. Quam tamen immeritò, suadetur primò, quoniam vniuersale non magis multiplicitem, quam vnitatem deposcit: at sola vnitas rationis ad illud sufficit: ergo, & id genus multiplicitas. Deinde secundò: *pars metaphysica hominis* est vniuersale comparatione, animalis, & rationalis, quæ tamen sola ratione distinguuntur: assumptum est in aperto: nam hæc prædicatio, *animal est pars metaphysica hominis*, est directæ: hæc vero

vero indirecta; *pars metaphysica hominis est animal*, vt ex ipsis terminis patet: ergo quia in prima prædicatum est superius, & vniuersale respectu subiecti, in secunda verò è conuerso: aut cedo, quid sit prædicationem esse directam, & indirectam?

8 Rursus tertio, numerus in communi est ratio vniuersalis, ac superior contemplatione binarij, ternarij, ac reliquorum: at binarius, & ternarius realiter non distinguuntur, cum vterque omnes vnitates possibiles complectatur ex æquo: quod si rationem vniuersalem numeri, seu quantitatis discretæ neges, id ipsum de quantitate continua pari libertate asserere poterò. Quarto: entis vt sic passio est ratio communis, & vniuersalis ad vnum, verum, bonum vt omnes in metaphysica supponunt; dum proprietatem entis in illa tria velut rationem communem in inferiora dissecant: sed vnum, & bonum re ipsa non distinguuntur inuicem, soliusque rationis beneficio sunt distincta. Quintò ad homines: obiectum vt sic est ratio vniuersalis, & communis ad obiectum partiale, & totale, in eaque finditur: at obiectum partiale, & totale sola ratione distinguuntur, cum vtrumlibet omnia obiecta, seu cognoscibilia, tum possibilia, tum etiam impossibilia claudat. Denique vt indicat Auicenna lib. 5. metaph. c. r. est quoddam vniuersale, quod ex toto, & tam pro formali, quam pro materiali sumptum in intellectu duntaxat est, eique debetur soli: hoc autem aliud esse non potest, quam vniuersale, quod modo adstruimus, & cuius non tantum vnitatis sit intellectualis, verum etiam multiplicitas, ratione nimirum vnam, eandemque rem in diuersas scindente formalitates, eisque postea per alium actum tribuente vniõnem, & confusionem quandam. Atque ex dictis facillè solui possunt, quæ in contrarium obiici solent.

9 Multitudo iterum duplex est. alia positiua; quæ in cumulo vnitatum consistit: alia præcisua, quæ in mera præcisione ab vnitatis, & indiuiduatione sita est, siue ea præcisio fiat beneficio intellectus, siue munere rei ipsius, quæ suapte natura à singularitate quodammodo distinguitur, & est formalissimè non singularis. Multorum ergò sententia est, vniuersale non oportere esse ex conceptu suo positiuè: in inferioribus multiplex, sed satis esse, vt eiusmodi in iis sit, seu positiue, seu præcisue: quare naturam Gabrielis Angeli v. g. esse speciem: eò, quod à sua singularitate sit præcindibilis, ac per consequens præcisue multiplex, non aliter, atque è conuerso quod à multiplicitate præcinditur, eò ipso est ratione nostra, & præcisue vnum. Atque hinc emergit prima huius sententiæ probatio: nihil aliud requiritur ad vniuersale, quam præter vnitatem multiplicitas inferiorum aliqua: sed quæ est præcisua, est multiplicitas quædam, vt explicatum manet, eaque naturæ conuenit Angelicæ; quid ni ergò ad hanc, & quamuis aliam vniuersalem efficiendam sufficiat.

10 Secundo probari solet eadem opinio: Gabriel Angelus, & Michaël specie differunt: quoniam ergò vterque est species, esto neuter sit positiue multiplicabilis. Tertia eiusdem sententiæ probatio sic habet: natura illa Gabrielis Angeli, prout abstracta à sua singularitate non est singularis: ergò est vniuersalis, cum tamen non positiue multiplex, sed præcisue tantum. Quarto probari solet ea sententia: quia si per impossibile nullum esset animal præter hominem, hæc propositio, *homo est animal*, esset aliquid vniuersalis: haud autem speciei, quia eius prædicatum esset incompletum sicut modò, & non tota subiecti essentia: haud etiam differentiæ, pro-

P. Lyncei Philosophiæ Tom. I.

prij, vel accidentis, vt palam est: ergò generis: de huius ergò conceptu non sunt plures species: ac per consequens nec de conceptu speciei positiua pluralitas indiuiduorum. Ita de vniuersali quoad eius immultiplicabilitatem positiuam sentiunt Caietanus 1. part. quæst. 13. art. 9. & in log. cap. de specie & in tract. de ente, & essentia cap. 4. Iauellus 12. metaph. quæst. 14. Ferrara 2. contra gent. cap. 63. Sanchez tom. 1. log. q. 56. Ioannes à S. Thoma 2. p. log. q. 8. art. 3. & communiter alij Thomistæ.

Enimverò positiuam multitudinem inferiorum ad quoduis vniuersale requiri tuentur Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 1. & omnes eius asseclæ. Item Alexander, Aletis, Albertus, Argentin. Bonaentura, Carthusianus, & ex neotericis Auerfa quæst. 8. log. sect. 4. parum ab initio & plerique alij extra scholam Thomisticam: præsertim nostri, vt Suarez in metaph. disp. 5. sect. 2. Rub. cap. desp. q. 4. Conimbric. tom. 1. log. quæst. 8. in præfat. Porphyrij art. 3. Hurtado in log. disput. 5. sect. 3. Arriaga disput. 7. sect. 3. Molina 1. part. quæst. 50. art. 4. in comment. Balthazar Tellez in log. disp. 5. sect. 3. Franciscus Amicus in cursu Theologico. tom. 2. d. 3. & 6. atque apud eum alij plures.

Quorum ego sententiam certam arbitror, ac manifestam. Namque in primis ex opposita sequitur, Deum esse vniuersalem, quippe cuius essentia ab vnitatis, & singularitate velut attributo quodam ratione nostra posteriori præcindi potest, atque adeo ita est vna, vt sit præcisue multiplex. Secundo ad homines: quia alias Gabriel Angelus non magis species, quam genus erit, cum non magis à pluribus indiuiduis, quam à pluribus præcindatur speciebus, nec magis illa, quam hæc sub eo fingi possint. Tertio demum; quia vniuersale est vnum in multis, quæ, aut re, aut certè ratione non fingente talia sint: at natura Gabrielis non est in multis Angelis re ipsa, vt constat, nec ratione etiam non fingente: nequaquam ergò est vniuersalis. Minor probatur, quia nunquam aliqua res ratione nostra non fingente in duas res diuiditur, sed solum in duas formalitates, alias Deus ratione nostra non comminiscens in plures Deos diuidi posset, & ita plures Dij verè essent, sicut ob solam distinctionem, & diuisionem rationis nihil fingentis plura attributa, nimirum immensitas, æternitas, &c. in Deo vere esse dicuntur. Maior probatur: quoniam ad vniuersale multiplicabilitas rationis confingentis plura sub ratione communi, quæ quidem sub ea esse nequeunt, prorsus est insufficientis; alias singularitas etiam Gabrielis vniuersalis esset, siquidem sub ea plura comminisci possumus inferiora: vniuersale ergò est vnum in multis, quæ re ipsa, aut ratione non fingente positiue sint multa.

Ad primum argumentum aduersariorum cum Hurtado plures respondent, naturam Gabrielis ab eius singularitate præcindi non posse, eò quod hæc sit de essentia illius. At perperam, quia singularitas est de sola essentia physica, aut iuxta aliorum phrasim metaphysica naturæ Gabrielis, quippè cum qua realiter, non verò virtualiter, aut ratione nostra, seu logicè identificatur: poterit ergò natura Gabrielis ab eius singularitate præcindi, sicut homo præcindi potest ab indiuiduis, quæ per realem identitatem, & essentialiter physicè cohibet, & sicut vna formalitas Dei ab alia præcindiibilis est, æternitas v. g. ab immensitate, cum tamen singularæ earum omnes physicè includant, & solum logicè excludant. Admissa igitur præcisione illa natura

turæ Gabrielis à sua vnitare, & singularitate, merito cuius præcisiuè multiplex, haud propterea est vniuersalis, eo quod vniuersale suopecte ingenio multa positiue sub se, non vero præcisiuè postulet, vt nostræ rationes conuincunt.

14 Ad secundam respondeo: Vt duo specie differant, opus non est, vt species sint: tum, quia Petrus, & Buchephalus specie differunt, quin tamen sint species: tum à pari, vt aiunt: quia Petrus, & Paulus numero differunt, quin eorum alteruter numerus sit, & etiam accidentaliter dissident, quin eo ipso sint accidentia. Quamobrem ad differentiam specificam duorum satis, superque est, vt sub diuersis contineantur speciebus, sicut Gabrielem, & Michaëlem contineri pe picuum est.

15 Cæterum aduersus hanc solutionem illa statim emergit difficultas, Angelos nequaquam multiplicari posse solo numero, adeoque in eis nullas esse species prædicabiles, & proprias, cum hæ respiciant suapte natura inferiora omnino similia, ac tantum numericè diuersa, atque eatenus dissideant à generibus: Quæ cum ita sint, qui fieri potest, vt Gabriel Angelus, & Michael contineantur sub diuersis speciebus, quemadmodum ad eorum specificam differentiam oportet? Verum, etsi ita sentiant de Angelis B. Thomas 1. part. quæst. 50. art. 4. Capreolus in 2. dist. 1. quæst. 1. Egidius quodlibet. 2. part. 2. Soncinas 12. metaph. quæst. 51. & reliqui fermè Thomistæ, atque cum eis Abulensis in c. 29. numerorum, oppositum tamen est longè probabilius, illudque tenent auctores omnes, quos paulo supra laudauimus pro nostra sententia de multiplicata positiua inferiorum ad vniuersale requisita. Quamuis autem huius loci non sit verioris, & hac tempestate magis receptæ opinionis probatio, vnam tamen, vel alteram breuiter perstringo. Materia prima non est vnica radix indiuiduationis, vnitatisque, ac multiplicatis numerica, vt clarebit in metaphysica: quidni ergo Angeli quantumuis materiæ expertes possint solo numero multiplicari? nam non, nisi ex falso illo principio oppositum huius consequentis inferunt Thomistæ. Rursus secundò: animi rationales, eorumque plures cognitiones, & amores, quantumuis spirituales, similes sunt, ac solo numero differunt: quidni ergò ita differre, & non amplius possint Angeli spiritus?

16 Atque hinc respondebis cuidam aduersus nos instantiæ, quæ sic se habet: Gabriel, & Michael Angeli specie differunt: aut ergò, quia vterque est species positiuè immultiplex: & sic aduersariis conceditur, quod tantopere intendunt: aut quia continentur sub diuersis speciebus, quarum alterutra fortitur inferiora positiuè distincta, & plura instar speciei humanæ, & equinæ: atque hoc admitti nequit: nam si qua inferiora positiuè multa, ac distincta inuicem speciebus Angelorum concedantur, maximè solo numero differentia, & similia profus: hæc enim, vel certè nulla ad quamuis requiruntur speciem: at huiusmodi inferiora locum non habent in Angelis. Verum in primis huiusmodi multiplicatam numericam, eamque puram putam in Angelis reperiri supponendum est cum communiori Theologorum sententia, cuius vnam, vel aliam probationem breuiter, & in transitu delibauimus supra. Deinde estò contrarium sit verum, quid inde? Certè dici potest Angelos differre specie, non formaliter, sed æquiualeuter, quoniam ita sunt dissimiles, ac res diuersarum formaliter specierum. Ex hoc autem haud sequitur, eorum aliquem etiam provt præcisum à sua singularitate

esse speciem veram, & formalem, qua de agitur. Hinc suspicor B. Thomam, & quosdam etiam Thomistas antiquiorum, qui aduersus nostram de multiplicata vniuersali sententiam referuntur, ei fortassis haud refragari. Hoc enim duntaxat asserunt, Angelos nequaquam differre solo numero, sed esse necessario dissimiles, & quodammodò specie diuersos. Exindè autem, vt visum est, haud benè infertur, singulorum naturas esse species.

Ad tertium argumentum respondeo: natura Gabrielis Angeli, provt ab eius singularitate præcisa, nec singularis, nec vniuersalis est, sed media inter vtrumque statum: in qua natura media ne ipsorum aduersariorum plerique repugnantiam agnoscunt vllam. Verum de hoc latius infra. Ad 4. argumentum, quo pro opposita sententia nullum melius, fiet satis lib. 9. tract. 2. cap. 2.

CAPVT IV.

Vltior explicatio multiplicatis illius quæ rei vniuersali proprie conuenit.

M Vltitudo iterum, alia est creata, alia increata: Hanc ad vniuersale non sufficere, illam requiri censet B. Thomas 1. part. quæst. 30. art. 4. & in primum dist. 19. quæst. 4. art. 2. & non pauci eius sectatores. Item ex nostris Molina 1. quæst. 28. art. 4. disput. 2. per totam, Vasquez tom. 2. in 2. p. disp. 158. cap. 8. num. 32. ad medium, Valentia tom. 1. disp. 2. quæst. 4. puncto 3. Balthazar Tellez in log. disp. 6. sect. 2. Cæterum oppositum est Durandi in 1. dist. 25. quæst. 2. Torrez 1. p. quæst. 29. art. 1. Henrici quodlibet. 5. quæst. 6. Bonauent. in d. 25. art. 2. quæst. 1. Alonfis 1. part. quæst. 26. memb. 4. art. 2. Capreoli in 1. distinct. 25. quæst. 1. art. 1. Marsilij ibid. quæst. 28. art. 2. conclus. 2. Suar. lib. 1. de Trinit. cap. 3. & Rubij in log. cap. 3. de spec. num. 142. & 143. Posterior hæc sententia mihi magis placet. Primò, quia maior est distinctio realis trium personarum diuinarum, quamuis sint eadem vni tertio, quam duorum conceptuum sola ratione distinctorum: at hæc multitudo, ac distinctio ad vniuersale sufficit, vt superius vidimus: ergò & illa. Secundò, quia personæ diuinæ verè plures, ac distinctæ realiter sunt: ea igitur distinctio non minus, quam quæuis alia ad vniuersale sufficere.

Tertio, quoniam omnis multitudo vniuersalis vnitati commixta est, aliàs vniuersalis non futura: quamuis ergò personæ diuinæ vnitatem habeant in tertio, adhuc ab iis abstrahi poterit vniuersale quoddam. Quartò, quia eadem ratione inter multitudinem spiritualem, & materialem, substantialem, & accidentalem, completam, & incompletam distinguere, & alias vniuersali diseruire, alias ei pares non esse, quis arbitrari posset: quo tamen commento quod maius? Quapropter non video, cur ratio personæ diuinæ vt sic comparatione trium non sit vniuersalis.

Tandem multitudo, alia est entium, alia non entium, cuiusmodi sunt entia rationis ficta, vt hirco-ceruus, homo, equus, &c. nec non negationes, vt non homo, non equus, non audiens, atque etiam esse cæcum, surdum, &c. Solamque priorem sufficere ad vniuersale, posteriorem verò esse ad illud insufficientem, indicant aliqui Neoterici apud nostros Conimbrienses tom. 1. log. in cap. de genere q. 2. art. 1. Pro quorum sententia ita potest argui. Vniuersale

fale est vnum in multis: ad illud ergo necessaria est vnitas, & multitudo: at neutra videtur in eo, quod à non entibus abstrahi fingitur: talis ergo abstractio & vniuersalitas omnino repugnat; adeoque nulla esse potest, nisi in entibus, nulla in non entibus fundata. Quod vnitas, & multitudo deficiat vniuersale abstractum a non entibus, liquet: siquidem alterutra est affectio solius entis, illudque prior indiuisum denominat, & posterior diuisum, ac multiplex. Deinde secundò: ad vniuersale quoduis requiruntur inferiora similia: aut non entia sunt expertia similitudinis: hæc enim est relatio prædicamentalis, quæ genus quoddam entis est, & cum non ente nihil habet commercij: multitudo igitur non entium haud sufficit ad rationem vniuersalis.

20 Præterea tertio: si plurius non entium respectu esse potest aliquod non ens in communi vniuersale, maximè non homo intuitu huius hominis, videlicet eius, quod est in celo, & alterius non hominis, illius nimirum, quod reperitur in Angelo, aliorumque id genus: quæ enim alterius conceptus negatiui maior ratio, aut quod maius ius ad vniuersale, quam eius, quod in exemplum adhibuimus, nempe non hominis? Ast hic conceptus negatiuus nequit esse ratio vniuersalis contemplatione huius siquidem non datur hic, & ille propriè loquendo; neque non homo cæli, & non homo Angeli realiter distinguuntur, aut plurificantur: negationes enim multipliciter vendicant à formis, quas tollunt: homo autem est idem siue negetur de celo, siue de Angelo: proinde non homo vtriusque est prorsus idem: fieri igitur nequit, vt non homo in communi sit vtriusque respectu vniuersale. cum ad hoc necessaria sit inferiorum multiplicitas qualis qualis.

21 Rursus quartò: si non homo in communi esset vniuersale, comprehenderet sub se velut rationes inferiores non Socratem, & non Platonem ad modum quo homo, quia est vniuersalis sub se cohibet Socratem, & Platonem: Hoc autem est falsum: nam inde fieret, conuenire posse alicui rationem inferiorem & non superiorem in ea elusam, sicut si de aliquo diceretur esse animal, & non esse substantiam. Sequela est in aperto: siquidem de Platone ex vero enuntiatur esse non Socratem, non tamen esse non hominem.

Item quintò: si non ens esse posset vniuersale, sane non Socrates, contra quam disputatum est paulo supra, esset ratio superior, & vniuersalis intuitu non hominis, & non homo ratio inferior, ac particularis comparatione non Socratis: nam omne non homo est non Socrates, sed è conuerso omne non Socrates neutiquam est ob id non homo, cum Plato sit non Socrates, & tamen haud sit non homo. Hoc pacto homo est ratio inferior gratia animalis, & hoc contemplatione illius ratio superior, & vniuersalis quia omnis homo est animal, & è contrario omne animal non est homo. Consequens autem est absurdum, quia eadem ratione, aut potius irrationabilitate non Plato esset ratio superior, & species quædam respectu non hominis: item non Callias, non Protagoras &c. quo fieret non hominem contineri sub infinitis rationibus superioribus, & veluti speciebus inter se inuicem non subordinatis, sed potius inuicem disparatis, quod tamen adeò repugnat ac si aliquod indiuiduum esset simul sub specie hominis, & specie equi, ac ceteris omnibus, quæ, vel creatæ sunt, vel sine fine eluduntur in omnipotentia creatoris.

22 Denique sextò: non ens, siue sit posituum quoddam intellectus figmentum, siue negatio aut carentia aliqua, est omni quidditate, & carentia destitu-

tum, propterea quod essentia sit abstractum entis, & cui cõcretum repugnat, eidem haud possit conuenire abstractum; quo pacto sine albedine nusquam admitti potest album: vnde nequit non ens in quid prædicari, adeo vè genus esse, species, aut differentia. Deinde defectu entitatis & qualitatis haud etiam potest in quale prædicari, ac proinde haud sustinet esse proprium, & accidens: nullum ergo ex quinque prædicabilibus esse potest: prorsus igitur non est prædicabile, aut vniuersale.

23 Cæterum longe probabilius est, multitudinem non entium, qualem qualem ad vniuersale sufficere, nec maiorem requiri. Suaderetur autem primò, quia vnitas secundum quid, & extrinseca ad vniuersale satis est vt supponunt communiter Doctores: cur non ergo multiplicitas non entium, quamuis ea sit secundum quid, & impropria? Secundò quia non magis propria est, multitudo formalitatum, omnia ratione distinctarum, quam non entium: licet enim illa sit entium; at non simpliciter distinctorum hæc verò, tametsi sit non entium; at simpliciter distinctorum, ac separabilium: quocirca mirò se excedunt, & exceduntur inuicem: adeoque sunt pares quodammodo: atqui prior ad vniuersale sufficit, vt visum est huius initio capituli: ergo & posterior. Tertia, eaque efficacissima sententiæ nobis placitæ coniectura est, quod argumenta in probationem contrariæ adducta non ita sint difficilia ad soluendum, vt statim ostendo, si prius tamen aduertam, opinionem nostram esse, tum Conimbricensium loco superius memorato tum etiam Scoti in 1. dist. 2. q. 1. Gabrielis ibidem q. vnica dub. 1. Aureoli in 1. etiam dist. 23. & fusius dist. 25. quatenus asserunt negationem quandam communicabilitatis ab omni alienam positione, esse tamen conceptum vniuersalem, & communem tribus personis.

24 Ad primum igitur argumentum eorum, quæ sunt obiecta superius, respondeo, vniuersale esse terminum supertranscendentem, sicut esse cognitum, vel amatum: proinde ad illud haud esse necessariam vnitatem, & multitudinem transcendentalem, & entitatuam, sed sufficere supertranscendentalem, & communem entibus, ac non entibus. Ad secundum respondeo similiter, quæ est supertranscendentia vniuersalis, ad illud latissimè sumum haud requiri similitudinem prædicamentalem, & veram, realemque; sed satis esse minorem, eamque quæ possit esse secundum quid interdum.

25 Ad tertium respondeo in primis, tametsi non homo cæli, & non homo Angeli non differant ex parte formæ, vel quasi formæ, videlicet negationis: cæterum distingui penes subiecta, quibus illa superadditur negatio: atque hoc satis esse, vt non homo ab eis abstrahatur, eorumque respectu sit vniuersale quoddam. Quo pacto, cum Deus vna, eademque indiuisibili cognitione plura cognoscit obiecta creata, pluravè eodem complectitur amore, abstrahi potest ratio communis cogniti ab hoc, & illo, & amati similiter ab omnibus amatis: videlicet, quia eiusmodi concreta differunt, sin minus penes formas, at certè quoad subiecta extrinsecus informata, ac denominata: Alio quoque exemplo declarari potest solutio: nam constituta diuinitus eadem albedine in tribus subiectis, album esset vniuersale ad tria alba ea hypothesis futura, vt suo loco constabit: at inferiora tantum differrent ratione subiectorum, non verò formis tenus: similiter ergo in præfenti, &c.

26 Secundò etiam respondeo, negationem formæ ab hac specificari, & pro eius vnitatem vnâ numero esse, quandocunque eiusmodi negatio non est essentialis

tialis subiecto. Atque ea de causa negatio forma ligni in materia hominis, & in materia equi, & quacunque alia eius experte, aut etiam ad eam recipiendam proximè inhabili est omnino eadem. Cæterum si negatio sit essentialis subiecto, eam ab hoc specificari, vnamque, aut multiplicem esse provt subiectum multiplicatur, aut multipliciter oppositam habet vnitatem. Non homo autem, siue negatio hominis Angelo, & cælo essentialiter conuenit, quid mirum ergò, si talis negatio sit in vtroque diuersa, ac multiplex?

27 Ad quartum respondeo: vocula, *non*, Socratem, & Platonem infinitat, & alterutram adeo à sua extrahit singularitate, atque ad supremum quandam vniuersalitatatis gradum euehit: quis enim terminus esse potest magis vniuersalis, quam infinitus? Eius ergò infinitatis, & cum infinitate coniunctæ vniuersalitatatis, cum sit non Socrates, & non Plato, mirandum non est, si eorum contemplatione non sit ratio superior, aut magis vniuersalis, non homo. Ad quintum respondeo irreciprocationem illam, quæ quidquid est non homo est non Socrates, quin tamen quidquid est non Socrates, sit non homo, nequaquam arguere negationem Socratis esse rationem vniuersalem, & superiorem intuitu negationis hominis, sed potius eas esse duas quasdam negationes, quarum altera, nempe quæ est Socratis, latius funditur, quam altera homini opposita: Hoc pacto omne amatum est cognitum, non tamen omne cognitum est amatum: tamen inde non fit rationem cogniti esse vniuersalem respectu huius, & illius amati, provt talium, vt palam est, sed tantum esse eis priorem in subsistendi consequentia: similiter ergo in præsentem, &c.

28 Ad sextum respondeo non ens respectu suorum inferiorum neutiquam esse genus, speciem &c. tum ob rationem in argumento adductam, tum etiam ob adducendas infra lib. 9. tract. 1. cap. 8. & tract. 3. cap. 3. at non propterea definire esse vniuersale, & prædicabile, nam præter illa quinque prædicabilia esse alia haud pauca, vt explicabitur citato lib. 9. tract. 7. cap. vltimo; vbi nihilominus prædicabilia strictissime, & dialectice sumpta merito distributa esse in quinque, declarabitur ex professo. At contra instabis: sufficit ad vniuersale vnitatis, & multitudo secundum quid, item similitudo, & conuenientia impropria: atque hac de causa non entia esse vniuersalia paulo supra statuimus; cur non ergo sufficiat ad genus, & speciem quidditas secundum quid, & impropria, & ad reliqua prædicabilia qualitas eiusdem moris? ita autem esse poterunt non entia, species, & genera, &c. Repondeo, quinque prædicabilia esse à Porphyrio, & cæteris tradita ad explicanda, & intelligenda decem prædicamenta, horumque ad eam normam sequi: cum ergò prædicamenta sint entia vera quidditate, & qualitate prædita, inde esse, vt prædicabilia logice, ac rigorose sumpta, nempe genus, species, &c. nequeant non prædicari in quid, & in quale quid, & in quale: idque proprie, ac strictè, & seorsim à quavis translatione, ac metaphora.

29 Hactenus soluta argumenta aduersus posteriorem huius capituli assertionem. Contra priorem sunt non pauca, quæ tamen hic omisimus de industria, quod magna ex parte non sunt huius loci. Aliis enim hoc tantum contenditur, rationem personæ diuinæ respectu trium haud esse genus, speciem aliudvè quinque prædicabilem. Cæterum & hoc falsum esse, & quamuis à vero non esset alienum, nihil inde sequi aduersus vniuersalitatem personæ

diuinæ, propterea nimirum, quod præter illa quinque vniuersalia à Porphyrio tradita sunt alia quædam ab eis diuersa, sui que iuris, constabit ex professo infra lib. 9. tract. vltimo per totum. Aliis vero id potissimè tenditur, ac fouetur, haud posse dari rationem communem, & vniuersalem indiuidui: proinde admittendam non esse communitatem vllam, aut vniuersalitatem personæ diuinæ, cum hæc sit naturæ diuinæ, & perfectissimè intellectuales indiuidua substantia; ad modum, quo persona vt sic, & latius fusa definiri solet à Boëtio, & cæteris Theologis, rationalis naturæ indiuidua substantia.

Sed concedendum est, nullam esse posse rationem communem indiuidui propter ea, quæ late disputanda sunt citato libro 9. huius operis tract. 4. cap. 3. & 4. Hinc autem duntaxat fit, personam diuinam, provt concernit indiuiduationem, minimè esse rationem communem, & vniuersalem respectu trium in quas manat, at non, quod nequaquam sit ratio ita eis communis, & vniuersalis, provt est ratio: Quo fortè alludit Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 4. *Propterea dicimus tres personas diuinas, quia commune est eis id, quod persona est: quasi diceret, personam diuinam penes id relatiuum, quod est persona, quodque superaddit essentia, esse communem, & vniuersalem tribus personis, secus vero penes vltimum constitutum personæ, nempe singularitatem. Et quidem vti cum dicitur, personam diuinam esse rationem communem, & vniuersalem contemplatione trium, à nullo intelligitur, diuinitatem ob id esse communitati rationis, aut vniuersalitati vlli obnoxiam, ita neque colligi potest ex nostra assertionem, singularitatem, siue indiuiduationem relationibus more diuinitatis virtualiter superadditam, & ab eis distinctam, esse rationem communem, & vniuersalem. Ita, quod hoc capite asseruimus, personam diuinam vniuersalitatem fortiri respectu trium; quod etiam, lib. 9. tract. septimo cap. 1. asseremus, eam esse genus quoddam, accipiendum est specificatiuè, & in priori sensu explicato, non vero reduplicatiuè & in posteriori, iuxta quem sumitur persona diuina, provt est singularis, & indiuidua more earum in quibus subsistunt naturæ creatæ.*

CAPVT V.

Modus essendi in multis rei vniuersalis proprius.

31 **Q**uod ad modum essendi vnius in multis rei vniuersalis proprium attinet; in primis vniuersale est vnum in multis, non localiter: alias Angelus Gabriel, non solum in statu præcisionis à sua singularitate, verum etiam vt contractus per illam esset vniuersalis: si quidem est vnum quid in multis spatiis, quorum singula totus occupat. Deinde vniuersale non est vnum in multis temporaliter, vt sic dixerim: alias Deus esset vniuersalis; quippe qui in pluribus temporis interuallis est, aut simul, si præsentia rerum omnium in æternitate admittatur; aut (quod satis est) successiuè, si ea præsentia reiiciatur. Præterea vniuersale non est vnum in multis subiectiue: aliàs hæc anima rationalis Ignatij v. g. foret vniuersalis; nimirum quæ tota est in pluribus subiectis, nempe corporis partibus, quarum singulas se tota informat: Est ergò vniuersale vnum in multis per veram identitatem cum illis; quasi vniuersale

uerfale fit vnum multa, vt recte B. Thomas opuscul. 56. disputat.

32 Porro vniuersale ita est vnum in multis, siue vnum multa, vt idem secundum idem debeat esse vnum, & multiplex: siue, quod iuxta est, eadem formalissime ratio, qua est vna in statu abstractionis, postea contracta per inferiora vi eorum multiplicari debet. Hac de causa homo v. g. est vniuersalis intuitu Petri, & Pauli, eo nimirum, quod non sola Petreitas, & Pauleitas, vel etiam Petrus, & Paulus plures sint, verum etiam homo ipse reduplicatiue sumptus multiplex sit; ita s. vt qui ante contractionem vnus homo dicebatur, post illam plures homines dicatur. Deus autem vniuersalis non est, tamen pluribus relationibus realiter distinctis per identitatem inest, & de iisdem sit predicabilis, quia non quemadmodum vnum Deum, ita plures Deos re, aut ratione nostra admittere possumus. Vnde vniuersale ita est vnum multiplex, vt vnum, & multa, quibus constat eiusdem nominis, & rationis esse debeant vt iam explicuimus haud ita supra.

33 Non leuis autem difficultas hic occurrit, num scilicet vniuersale sit dumtaxat vnum in multis, ne utique vero multa in vno? Quidam enim recentiores ingenio nobiles negant, vniuersale esse posse multa in vno. Eorum autem sententia hinc potest argumentis probari. Vniuersale definitur vnum in multis, non vero multa in vno: quorsum autem, nisi, quia suapte natura est dumtaxat illud prius, non vero hoc posterius? Rursus secundo: si vniuersale constans vno, & multis eiusdem nominis, & rationis esse potest multa in vno, quidni haec totalis aqua respectu suarum partium sit vniuersalis, & species, contra quam omnes, & merito sentiunt? nam & tota aqua, & quavis eius pars est aqua, ac proinde eodem nomine, & ratione gaudent: aliunde vero partes omnes, & singulae sunt in toto illo, quod ex iis in vnum confluit. Quod autem aliqui respondent, aquam cum singulis suis partibus inadaequate tantum identificari, frivolum est, atque ad remouendam vniuersalitatem insufficiens: siquidem homo etiam inadaequate tantum identificatur, cum Petro, ac Paulo, quorum tamen intuitu est vniuersalis.

34 Tertio, quoniam siqua ratione vniuersale esse posset, non dumtaxat vnum in multis, sed etiam multa in vno, maxime, quia est totum potestatum respectu suorum inferiorum, & haec eius partes subiectiuae: de conceptu autem partium est vt sint in toto. At haec ratio est nulla: haud enim vniuersale dici potest totum intuitu multorum, in qua parte, & qua sub se cohibet. In primis, quia omne totum est maius quavis sua parte, adeoque in ea esse nequit: maius enim esse nequit in minori: at vniuersale est in quouis inferiori suo. v. g. homo in Petro, & Paulo: eorum ergo contemplatione totum esse non sustinet. Deinde, quia alioqui animal v. g. esset infinite perfectionis: quippe quod instar totius complecteretur infinitas species; nullam suo perfectionis gradu non praeditam. Vtremque, quia cum sententiam illam constituentem genus esse totum, & speciem eius partem (par autem est ratio aliorum vniuersalium) proposuisset August. ex Ticonio semi Donatista lib. 3. de doct. Christiana c. 34. in haec verba; quarta vero Ticonij regula est de specie, & genere, sic enim eam vocat, volens intelligi speciem partem, genus autem totum, cuius ea pars est, quam nuncupat speciem, sicut vnaquaque ciuitas pars est vniuersitatis gentium, hanc ille vocat spe-

ciem, genus autem omnes gentes; statim eam refellit, aitque a dialecticis acutissime disputari, ac subtilissime discerni solere quid inter partem, & speciem intersit. Et lib. 8. de Trinit. cap. 6. sic in eandem loquitur sententiam; ex eodem auro si fierent tres statuae, diceremus tres statuas vnum aurum, nec tamen diceremus genus aurum, species autem statuas, nec aurum speciem, statuas vero indiuidua.

Tandem vniuersale. v. g. genus, est pars inferiorum quarumvis specierum: non ergo totum: consequentia videtur perspicua: suadetur antecedens in primis, quoniam iuxta Aristotelem 9. metaphysicae text. 6. 9. 10. & 16. quem sequuntur omnes, species constat genere, & differentia: genus ergo iuxta cum differentia est eius pars, ac velut talis de ea ita potest, ac debet predicari. Secundum (& eodem redit) in hac apprehensione composita animal rationale, particula, animal, cum differentia rationalis speciem hominis actu constituit: at animal per eam apprehensionem verè genus est, & vniuersale: genus ergo pro vt genus, & vniuersale est pars actualis speciei de ea predicabilis: minor recentioribus minime placitura in hunc modum suadetur: quia magis, aut perfectius vnitur anima cum rationali per actum iudicij, quo rationale esse animal affirmamus, quam per apprehensionem compositam, qua animal rationale mente concipimus: at in hoc iudicio, rationale est animal, animal genus est, & vniuersalitatem retinet suam, vt etiam aduersariis est in confesso: ergo & a fortiori, vt aiunt, in hac apprehensione composita, animal rationale: maior sponte sua est perspicua: quod enim iudicium apprehensione composita perfectius est, eò vnionem extremorum perfectius representat, ac perinde extrema praestantius vnit, atque componit. Vtremque materia, cum qua genus proportionem seruat, & vnde sumi dicitur, & sicut etiam differentia à forma, materia, inquam, contracta per vniam formam adhuc in actu primo est indifferens ad quamvis aliam: animal ergo contractum per rationale adhuc retinet suam vniuersalitatem, & indifferenciam in actu primo ad quamvis aliam differentiam, vt positum est.

Verius tamen duco, vniuersale non tantum esse vnum in multis, sed etiam quodammodo multa in vno: vnum quidem in multis explicitè, quo pacto animal. v. g. est in homine, & equo, & ceteris eius speciebus; multa verò in vno implicitè, quo pacto dixit Aristoteles, in genere latere aequiuocationes, id est latenter, & confuse in eo esse species diuersas. Suadetur primò ex Damasceno cap. 22. dialect. in aliquo vndecim modis dicitur: vt genus in specie, velut animal in definitione hominis; vt species in genere velut homo in definitione animalis, &c. Ecquid autem est speciem quamvis esse in genere, quam in vniuersali veluti in vno esse multa inferiora? Id ipsum sentiunt Aristoteles 4. physic. cap. 3. Petrus Hispanus in antepredicam. Ammonius, & Simplicius ibidem, Iauellus tract. 5. log. p. 1. §. Tia igitur aduerre Conimbricenses tom. 1. log. c. 4. de decem praedicamentis q. 1. a. 3.

Si quidem eis, & ceteris Philosophis familiare est, assignare octo modos existendi in alio, quorum vnus est ille, quo species sunt in genere, adeoque multa inferiora in vniuersali tanquam vno. Comprehendi autem solent praedicti existenti modi his verculis memoriae gratia.

Injunt pars, totum, species, genus, vtrique forma
Et qua producent, meta, locusque tenent.

Qua

Quocirca primus modus essendi, vt sic dixerim, in alio est partis, vel integralis, vel essentialis in toto: qua ratione dicitur brachium esse in corpore, & materia in ente naturali. Secundus est conuersio totius in partibus: cum enim corpus humanum dicatur communiter, & merito consistere in suis membris, & ens naturale in materia, & forma, qua constat; quidni etiam in eis esse dici queant: consistere enim in aliquo, est in eo quodammodo esse, vt luce clarius? Tertius est speciei in genere, siue cuiusuis inferioris in superiori, & vniuersali ratione. Quartus est generis in suis speciebus, & quod consequens est, cuiusuis vniuersalis in suis inferioribus, ac partibus subiectiuis. Quintus est, quo forma substantialis esse dicitur in materia prima, vt anima nostro in corpore, aut accidentalis in materia secunda, vt calor in manu. Sextus est, quo effectus in causa sua efficienti, aut quasi efficienti esse censetur, vt flos in radice, lumen in sole, populus in potestate principis, creatura in Deo iuxta illud Pauli in Act. Apostolorum *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*. Septimus est, quo aliquid est in fine suo, vt auarus in diuitiis, quo spectat illud Euang. *ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*. Octauus est, quo aliquid est in loco, vt Plato in Lycæo, aqua in vrceo: quo etiam reduci solet modus existendi in tempore.

38 Vt autem eò, vnde aliquantulum digressi sumus, reuertamur, secundo suadet nostra sententia, & quæ recentioribus insedit confutatur. Partes omnes sunt in toto suo: at multa, de quibus prædicatur vniuersale, sunt eius partes subiectiue: igitur sunt in illo: maior, & consequentia sunt per se: minor suadetur; vniuersale est totum quoddam potestatiuum, respectu suorum inferiorum, de quibus prædicatur: ergo & hæ partes intuitu illius: antecedens est Aristotelis 1. physic. text. 4. *ibi vniuersale est totum quoddam multa comprehendens, vt partes*: necnon B. Thomæ, Scoti, Toleti, Hurtadi, Bartholomæi Amici, Masij, ac cæterorum omnium dialecticorum: & quidem per se, ac sponte sua videtur manifestum; namque animal v. g. continet in se hominem, equum, & cæteras species, & homo Petrum, Paulum, Ignatium, & cætera indiuidua: At proprium totius est continere partes.

39 Argumenta contraria non videntur admodum. Ad primum respondeo, defini vniuersale vnum in multis: non multa in vno, non, quod vtrumque non sit, sed quod prius illud sit eius essentia logica, posterius verò sola proprietas: Illam autem aptitudinem vnius, vt sit in multis, esse essentiam vniuersalis est communis doctorum sententia teste Fonseca in Hægoge philosophica, quam sequitur, tum ipse, tum etiam cum eo Balthasar Tellez in log. titul. 1. disp. 1. sect. 1. n. 4.

40 Ad secundum respondeo, aquam etiam esse, siue consistere, in suis partibus eiusdem secum nominis, & rationis: nec tantum esse multa in vno, sed etiam vnum quodammodo in multis: hoc ergo ex titulo immeritò excludi à ratione vniuersalis suarum intuitu partium. Idcirco igitur ad eas vniuersale non est, quia tametsi sit in illis quodammodo non tamen ita, vt possit de singulis prædicari hoc pacto, hæc pars aquæ est tota aqua, illa est tota aqua, &c. vt dici consuevit, Petrus v. g. est homo, Paulus est homo, & sic in reliquis. Vno verbo: aqua tota est in suis partibus physicè, non tamen logicè, siue, vt loquuntur alij, metaphysicè; proinde non mirum, si vniuersalis cuiusdam rationem, haud obtineat.

Ad tertium Respondeo, vniuersale esse totum potestatiuum, vt dictum est. Prima autem probatio contraria nullius est momenti: nam vniuersale, v. g. animal, est potestatiue, siue implicite, ac virtualiter totum respectu inferiorum suarum specierum: adeoque ita illis maius. Hinc autem fit, ita sumptum haud esse in illis: non autem, quod non sit in illis aliter sumptum, & prout est pars eorum actualis, & explicita, siue formalis, vtique ea cum differentiis componens: qua certe ratione est eis minus. Sequens probatio haud est magis momentosa: nihil enim incommodi est in eo, quod animal v. g. aliudvè genus, aut vniuersale sit infinita perfectionis merito innumerabilium specierum, quas in se cohibet: tota enim infinitas illa est, non simpliciter, & in omni genere talis, sed secundum quid, & in aliquo: deinde qualis, qualis est haud est categorematica, & tota actu, sed syncategorematica, & in potentia, sin minus integrè, at certè maiore sui parte.

41 Tertia probatio contraria haud plus facessit negotij: quod enim duntaxat contendit Augustinus contra Ticonium est, vniuersale non esse totum actuale, & physicum comparatione specierum sibi subiectarum; neque hæc contrario partes eius actuales, & physicas; vt exemplis in contextu argumenti propositis liquet: cæterum nos contra hoc solum asserimus, & cum omnibus tuemur scholasticis, vniuersale esse totum potestatiuum, & metaphysicum, siue logicum; & species ei subiectas esse partes potestatiuas, & implicitas, ac ratione magis, quam reuera in vnum coalitas, atque confusas. Quarta, & postrema probatio facilis est infringi: nam vniuersale est pars actualis suorum inferiorum, quippe quæ simul cum differentiis sui contractiuis logicæ, seu metaphysicæ componit: idque tantum conuincitur argumento aduersario; estque planè Aristotelis, & cæterorum philosophorum sententia: Cæterum inde tantum sequitur illud haud esse totum actuale contemplatione suorum inferiorum; secus verò quod non potestatiuum, & virtuale, vt iterum, atque iterum est perstrictum.

CAPVT VI.

Amplior declaratio modi illius essendi in multis, Qui rei vniuersali proprie congruit.

43 NAM circa eum duæ adhuc supersunt difficultates, quarum prima est, eaque varia, & multiplex, quo pacto se habeat relatio vniuersalis ad multa inferiora, in quibus existit, ad relationem particularitatis, siue subiectibilitatis, merito cuius idem sub alia ratione superiori, & magis vniuersali cohibetur? Claritatis autem gratia exemplum esto in relatione, qua species est prædicabilis de indiuiduis, eaque, per quam eadem species subicitur generi; quanquam etiam generis infimi, modò ad genus supremum comparati, modò ad species, & quorumuis aliorum vniuersalium, & particularium par sit ratio.

In primis ergò censeo, speciem quatenus prædicabilem, & subiectibilem, seu quatenus refertur ad genus, & ad indiuidua duplicem inuoluere respectum, seu relationem. Ita Scotus in prædicab. q. 2. 1. Caietanus, Soncinas, Antonius, Andreas, Sotus, & Colonienfes. Suadetur autem, quia refertur proximè

ximè species ad indiuidua per notitiam comparati-
uam, qua Petrus v.g. & Paulus &c. homo apprehenditur, aut indicatur; ad genus verò per actum, quo idem homo animal esse censetur: at hæc duæ notitiæ comparatiuæ sunt diuersæ: ergo, &c. Si autem de prædicabilitate, & subiicibilitate remota sit sermo, haud minus exploratum est, eas oportere ratione nostra distingui: quoties enim duo actus, aut relationes proximè distinguuntur, necessum est distingui actus, aut relationes remotas iis respondentibus: quo pacto, quia intelligere, & velle in actu secundo distinguuntur realiter, eo ipso intelligere & velle in actu primo, siue intellectus, & voluntas distinguuntur ratione saltem: subiicibilitas autem, & prædicabilitas proximè realiter distinguuntur, vt visum est: ergo & remotæ, rationis nota beneficio.

44 Qualis autem relatio superius memoratum sit prior, valde inter auctores dubitatur: Auicenna cap. de specie. Toletus quæst. 1. de specie ad primum censent, relationem speciei ad indiuidua esse priorem eius relatione ad genus: Albertus vero tract. 4. cap. 2. & Caietanus dub. 2. circa 3. censent, è contrario relationem speciei ad indiuidua esse posteriorem ratione, quam relationem eius ad genus. Posterior sententia mihi magis probatur: quia medium prius refertur ad prius, quam ad posterius: sed genus est prius, quam indiuiduum, & hoc genere posterius: ergo species intermedia, & in vtriusque confinio posita prius per subiicibilitatem ad genus, quam per prædicabilitatem ad indiuidua refertur: maior syllogismi, quæ sola probationis indiga est, ita suadetur: id, quod prius est, prius respicit medium, quam postremum: at pro illo priori rationis, siue naturæ signo medium etiam respicit prius, cum terminare repectum hoc ipso sit respicere, nec certè de alia respicientia sermo sit in præsentiarum: ergo medium prius respicit prius, quam posterius. Rursum secundo probatur, ac declaratur eadem sententia: quoniam in creatura prius est produci à Deo, eique hoc nomine subiici, quam aliam producere, eique hoc ex titulo præesse, & illud ad hoc prærequiritur, vt palam est. & omnibus in conceito: similiter ergo in præsentibus, &c.

45 Quod si non de subiicibilitate sermo sit, sed de specie subiicibili, & hæc ita iumatur, vt debeat esse species prædicabilis pro eo, ac aliqui satis probabiliter autumant, vt videbimus infra lib. 9. tract. 2. cap. 5. ad finem, aut, quod perinde est, si sermo sit, non de relatione sola, sed de prædicto fundamento, & relatione simul, sanè prior est ratione species prædicabilis, quam subiicibilis, siquidem ita species subiicibilis, formaliter importat, tum relationem subiicibilitatis, tum etiam relationem prædicabilitatis: illam, quæ subiicibilis, hanc, quæ species: haud ergo concipi potest species subiicibilis penes id quo adæquatè, & formaliter constituitur, quin eo ipso concipiatur provt species prædicabilis: at optimè cognosci potest species prædicabilis, vt talis, quin cognoscatur subiicibilis, tamen si ipsa sit subiicibilis: prior ergo est species prædicabilis quam subiicibilis ratione nostra, & in subsistendi consequentia: quo pacto, quia concipi potest animal sine homine, non è conuerio, animal est homine prius ordine rationis, siue illationis.

46 Præterea inter auctores dubitari solet, an species abstrahi possit à subiicibili, esse ve vniuersalis comparatione vtriusque? Respondeo, negan-

dam esse eiusmodi abstractionem, & vniuersalitatem: nam species ita abstracta esset formaliter, & non esset species prædicabilis: esset, quia, & esset species, vt constat, & etiam prædicabilis, quippe ad quinque prædicabilium vnum aliquod pertinet: deinde non esset species prædicabilis, tum, quia supponitur ab ea esse abstractam, nihil autem est formaliter id, à quo abstrahitur: tum etiam, quia, cum respiceret inferiora dimittit, cuiusmodi sunt species prædicabilis, & subiicibilis, qui esse possent species infima, & prædicabilis.

47 Aliud quoque dubium est circa prædictas relationes, an species subiicibilis, vt subiicibilis, sit prædicabilis? Artem affirmantem equitur Toletus, negantem Amicus, & plures, quos refert. Sed respondeo breuiter: si reduplicatio cadat, vt potest, supra solam relationem subiicibilitatis, speciem subiicibilem, vt subiicibilem non esse prædicabilem: vtraque enim relatio est diuersa, vt visum: sin autem recidat, vt sæpe aliàs vsuenerit, supra totam denominationem subiicibilis, ac tum pro formali, tum etiam pro materiali sumptam, eaque petat necessario instar materialis, ac subiecti speciem prædicabilem, ita quidem fieri non posse, quin species subiicibilis provt talis fiet prædicabilis. Neque in hoc est, quod amplius debeamus inmorari.

48 Postrema difficultas circa modum essendi vniuersalis in multis hucusque explicatum, est an vniuersale non quodcunque sed genus, & species esse debeat actu in multis? Multi enim, grauesque Doctores inter hæc duo prædicabilia non mediocre discrimen agnoscunt, censentque, genus non posse actu reperiri sine actuali existentia plurimum specierum: at speciem conseruari posse in vno dumtaxat indiuiduo. Ita B. Thomas in 1. distinct. 19. quæst. 4. art. 2. & 1. poster. lect. 12. Boet. in lib. de diuis. Albertus Magnus tract. 4. prædicab. cap. 6. Alexander lib. natural. Quæstionum cap. 11. Dominicus Sotus quæst. de specie ad 2. Cardinal Toletus ibidem ad tertium. Idem sentiunt tamen quibusdam adhibitis distinctionibus Fonseca lib. 5. metaph. cap. 28. quæst. 5. Masius sect. 2. de gen. quæst. 1. Auerla q. 10. log. sect. 4. Hurtad. disput. 6. log. sect. 4. Contra verò Aggidius, Romanus ad Ilagogem Porphyrij, & complures recentiores, quos tacitis nominibus laudat Fonseca, id discriminis superius positum omnino negant.

49 Quid mihi videatur duplici assertionem declaro. Prima est talis: si verbum, *existit*, aut, *datur actu*, appellet supra solum formale generis, & speciei, tam hæc, quam illud potest existere, actuè dari sine vllius inferioris existentia: Atque hoc fortassis voluere Aggidius, & sequaces. Suadetur autem primò: quoniam vniuersale, præsertim magis receptum, ac vulgare, & quo de loquimur potissimè in presenti, perinde est, atque obiectum multiplex confusè, & instar vnus ab intellectu cognitum: atqui actu dari, & existere potest denominatio illa cogniti, quin multitudo, in quam recidit, vllavè eius pars existat: ergo & denominatio vniuersalis, cuiusmodi est genus, & species. Secundò, quoniam verba in definitionibus magis potentiam, quam actum significant: quando ergo definitur vniuersale esse vnum in multis, haud sensus est, vniuersale esse actu in multis, sed sola aptitudine, & potentia: quid ni ergo vniuersale sensu saltem proximè explicato existere possit, actuè dari quin sit actu, sed sola aptitudine in inferioribus eius? Tertio, quia, vt fiat vniuersale, quo de

de agimus, genus nimirum, & species, non requiritur multitudo facta, & creata, sed sufficit increata: vt ergo vniuersale sensu nuper proposito actu detur, & existat, non est opus multitudine inferiorum existente, & suas. extra causas posita.

50 *Assero secundò: si verbum, existit, aut actu datur* appellet pro eo, ac potest supra genus, & speciem, tam quoad eorum formale, quam etiam penes materiale v. g. animal, hominem &c. ita quidem locum habet differentia superior inter primum, & secundum prædicabile, si tamen recte explicetur. Explicari autem, & suaderi potest primò hunc in modum quanquam vnus duntaxat homo existat, cæterum speciei humanæ tota perfectio essentialis quasi intensua censetur existere, tametsi non extensua tota: non hæc; quoniam sita est in Petro, & Paulo, & cæteris omnibus indiuiduis hominis, quæ constat tum non existere: aut illa existet tum quoad formale speciei, videlicet actum abstrahentem; quippè cuius supponitur existentia, tum etiam quoad materiale speciei: hoc enim est animal, & rationale duntaxat, cum hi duo gradus solum constituent, ac veluti intendant essentiam logicam hominis, quomodolibet considerati, & siue in abstractionis, siue in contractionis statu: Petreitas verò, & Pauleitas nunquam, & nusquam sunt de eius essentia logica, vt communiter est in confesso apud omnes, vtque infra explicandum est lib. 9. tract. 3. cum sermo fuerit de definitione speciei: at animal, & rationale eo in euentu absolute existent. Cæterum existente vna sola specie non tantum non existeret tota perfectio essentialis veluti extensua generis, sed neque intensua: hæc enim coalescit non tantum ex viuenti, & sensibili, quibus definitur animal, sed etiam ex differentiis specificis; quippè quæ animali in statu saltem contractionis tunc essentialia logicæ, & cum ea speciem constituunt. At tunc minime existerent differentia specificæ omnes animali subiectæ: ac proinde nec tota essentia logica animalis in quouis statu considerati.

51 *Secundò eadem differentia explicari potest, ac breuius, & dilucidius: species definitur à Porphyrio in Isagoge cap. 2. quæ componitur ex genere, & differentia: huiusmodi autem species existeret in vno solo indiuiduo, tum quoad formale, vt constat, tum etiam quoad materiale, siquidem supposita vnus duntaxat indiuidui existentia, & productione, nihilominus tum existeret absolute animal, & rationale, quibus duobus clauditur speciei humanæ v. g. prout definitur superius materiale, siue substratum. Cæterum vna sola specie animalis existente existeret quidem genus animalis quoad formale, non tamen quoad materiale: ecquid enim esset illud materiale tum extitutum? non plures species, vt supponitur: non vna sola, cum hæc non sit sufficiens generis materia: non denique viuens, & sensibile, queis constat animal; prout enim his coalescit gradibus, non tam est materiale generis, quam speciei à Porphyrio definitur vt supra.*

52 *Tertiò differentia illa generis, & speciei inter tot, tantòque authores recepta eorum in gratiam ita potest explanari. Genus tum quoad formale, tum etiam quoad materiale (nisi enim vtroque modo sumatur inter illud, & speciem vestigare discrimen haud aliud erit, quam, vt aiunt, nodum in scirpo querere) nequit existere in vna sola specie, quin depereat vniuerso ea pulchritudo, quæ ex varietate, & dissimilitudine exurgit: Quæ, quanta sit, longus sim, si in omnibus generibus explicem: satis*


fit eam in vno perstringere, eoque sat abiecto, & vili, flosculo nimirum mox tabescente: Quam enim admirabilis, & pulchra eius infinita illa propemodum varietas? Sunt, vt Lessij nostri de prouidentia numinis lib. 1. verbis vtat, continui, dissecti, profundi, repandi, in cymbam cauati, in crinem surrecti, in lanam carminati, alati, rostrati, cornuti, caudati, apiformes, spicati, in sphaeram radiatim dispositi, racematim stipati, umbellatim diffusi, circinatim digesti, folio simplici, triplici, quadruplici, multiplici constipato in orbem, extrorsum conuoluto, introrsum replicato, falcato, crispante, explanato, striato, crenato, fimbriato: Nec minor colorum variatio: candidi, flauo, gilui, luteoli, sanguinei, punicei, cyanei, purpurei, ianthini, colore simplici, miscello, multiplici, saturo, diluto, ex rubro palléscente, ex croceo rubescente, ex puniceo purpurascete, aurato, vel purpureo interpuncti, virgati, stellati, segmentati, fundo gemmato, umbone medio apicibus è centro decore prodeuntibus, &c. Quod si floris genus harum specierum duntaxat vnam sortiretur, haud dubie vniuersum ea varietate destitutum coniunctæ cum ea pulchritudinis iacturam pateretur non modicam: idem autem contingeret in quocunque alio genere. nõ, nisi in vnus speciei angustis sese ostétante.

53 *At species aliqua potest existere in vno solo indiuiduo, quin ob id vlla desit vniuersitati rerum dissimilitudo ad eius splendorem necessaria: id, quod constat, tum à priori, quoniam indiuidua vnus speciei, cum sint omnino similia, nullam, etiam si plura existant, dissimilitudinem propriè dictam pariunt magis, quam si vnum solum producat in lucem vniuersi: tum à posteriori, quia de facto, vt aiunt, credendum non est, vllam mundo aut summæ rerum abesse dissimilitudinem, seu varietatem eius pulchritudini necessariam: & tamen species solis in vno solo indiuiduo producta est; necnon species lunæ, & cæterorum syderum errantium, & plerorumque, aut fortasse, omnium fixorum: conseruatur etiam species Phœnicis in vno solo indiuiduo, non perenniter quidè existente, at perpetua quadà successione restituta, de qua inter alios Poëtas bellè Claudianus.*

*Par volucer superis, stellæ qui vniuidu aquat
Durando, membrisque terit redeuntibus animum
Et paulo infra.*

*Hic neque concepto factu, nec semine surgit,
Sed pater est, prolesque sui, nulloque creante
Emeritis aruis secunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.*

Quod autem Poëta passim decantant Phœnicem nidulo à se ex casta, & surculis thuris, odoribusque variis structo super emori, & mox suis ex reliquiis eum renasci, & cum illo totam speciem prius extinctam; hoc inquam non velut poëticam fabulam, sed vti veram referunt historiam Plinius lib. 10. natural. hist. cap. 2. B. Ambros. in morte fratris de fide resurrectionis orat. 2. & alij graues authores.



TRACTATUS II.

De vniuersalitate reali.

CAPVT I.

An ex unitate, siue identitate reali, & distinctione opposita vniuersale ex parte rei de facto inferatur? ubi sententia Platonis examinatur.



VRROLVS in 2. dist. 9. quæst. 2. art. 1. & alij plures vniuersale quoddam à parte rei ex identitate,